

XXXIII.

Tales quoque Ceremonias à Pontificiis institui, quando processiones per agros cum vexillis paschalibus adorant, notum est omnibus.

Unde autem illud didicerint, videre est apud Polyd. Virgil. l. 6. c. 11. Invocabant verò ad avertendam grandinem ac alias noxias tempestates à segetibus Joannem & Paulum, quod huius venenata animalia, illi venenatus potus non nocuerit. Contra rubiginem verò Jodocum; contra bruchos Magnum invocabant, & tutelam vitium Urbana commendabant.

XXXIV.

14. Sicut Ethnici propter victoriam, & hostium profligationem deos peculiare coluerunt.

Virgines vestales scirpeas quasdam imagines seu simulacra hominum striginea, singulis annis publicè 15. Maji de ponte sublicio in Tyberim jaciebant; ut morem deijcendi tollendique hostes suos vel representarent, vel impetrarent; ideoque peculiare festum Argeorum dictum celebrarunt. De hoc festo Ovid. Tum quoque pristorum virgo simulacra virorum, Mittere roboreo scirpea ponte solet. Bellona quoque qua bellorum Dea fuit, sacra fecerunt quarto die Junij.

Inventum quoque fuit carmen Mursi cujusdam vatù perplexo scripturae genere conceptum, quo Romani Ludos Apollini vovere jubebantur, si hostem ex agris & finibus suis depellere vellent; quod si esset Deus qui extinguere perduelles ipsorum posset, & tranquillam libertatem præbere. Hinc Senatusconsultum tandem est factum, ut Apollini sacrum quotannis fieret victoriae causa, sacrum hoc Romani nominabant; Ludos Apollinares & celebrabant, 5. Julij.

Hanc eandem ob causam Armativem divinam faciebant, & inter clangorem tubarum sacrificabant, 19. Octobr.

XXXV.

Ita Pontificii hac eadem de causa Patronos suos invocant.

Inter quos est Georgius facile Princeps.

XXXVI.

15. Sicut Ethnici pro avertendis omnis generis agritudinibus peculiaria numina invocabant, & colebant.